



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 12/01/I

BEATISSIME PATER

Petrus Aloisius Mazzoni, Archiepiscopus Caietanus, filiales sensus venerationis et oboedientiae Sanctitati Tuae promit, nomine etiam cleri et christifidelium pastorali suae curae commissorum, et humiliter exponit ac supplicat. Insequenti anno 2002 quattuor explebuntur saecula ex quo, inventa in loco "Colle di Lenola" imagine Beatissimae Mariae Virginis, specialis cultus eidem Deiparae tribui coeptus est in Sanctuario, a Nostra Domina "Del Colle" nuncupato. Ut vero, sumpta occasione a quater saeculari memoria, christifideles aptis mediis, videlicet nuntian-di Verbi Dei, recipiendorum Sacramentorum, Liturgicarum celebrationum, in vita christiana roborentur et perficiantur, proximis evangelica exempla ostensuri et suam hierarchicam communionem cum Sanctitate Tua et proprio Sacrorum Antistite indefectibiliter observaturi, Plenariae Indulgentiae donum dignetur Sanctitas Tua dilargiri.

Et Deus, etc.

Die 30 ianuarii 2001

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de peculiari Summi Pontificis mandato, libenter concedit Plenariam Indulgentiam, sub suetis condicionibus - sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem eiusdem Summi Pontificis - et excluso affectu erga quodcumque peccatum, christifidelibus lucranda, si cui sacrae functioni devote adstiterint, vel saltem Orationem Dominicam ac Fidei Symbolum recitaverint, in praedicto Sanctuario: 1. diebus 14 septembris 2001 et 16 septembris 2002, quibus celebrationes sollemniter aperientur et claudentur; 2. semel, die a singulis fidelibus libere eligendo; 3. quoties ad supra dictum Sanctuarium turnatim peregrinati fuerint.

Praesenti intra periodum supra indicatam tantum valituro.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Venerabilis Card. Præm.
p. m. m.
+ Aloisius de Magistris
Legatus